
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
LOCATIONE
IVRISDICTIONIS
Von
Verpachtung derer Gerichte

QVAM
INDVLTV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
D. IACOB AVGVSTO
FRANCKENSTEIN
SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO-
SERVESTANI CONSILIARIO AVLICO
ET REGIMINIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SISTIT
AVTOR
IOANNES CHRISTIANVS Sommer
DRESDENSIS.

LIPSIAE DIE XXX. IAN. cIↄ Iↄcc XXVIII.

LITERIS IMMANVELIS TITII.



*PER-ILLVSTRI ATQVE EXCEL-
LENTISSIMO*

D O M I N O

HEINRICO DE BVNAV

DYNASTAE IN SEVSELIZ, RADE-
WIZ, LEHNIZSCH, GOELNIZ, GROS-
TAVSCHWIZ, ET RELIQVA

SERENISSIMI ATQVE POTENTIS-
SIMI POLONIARVM REGIS ET SAXONIAE
ELECTORIS MINISTRO STATVS, SANCTIORIS SE-
NATVS CONSILIARIO, CANCELLARIO, SVPREMO
STEVRARVM RECEPTORI, ET ILLVSTRIVM OR-
DINVM PROVINCIALIVM PRINCIPATVS AL-
TENBVRGICI DIRECTORI

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

PER-ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME!

DOMINE GRATIOSISSIME!

NOn diu cogitandum aut inquirendum mihi fuit, ad cuius pedes praeſens hoc de Locatione Iurisdictionis conſcriptum ſpecimen humillime deponerem; ſed potius verendum, ne audaciae crimen hoc ipſo incurrerem. At enim vero inaeſtimabilis TVA *Clementia*, DOMINE PER-ILLVSTRIS *atque* EXCELLENTISSIME, *non mo-*

do audacem me fecit, ſed nec dubitare ſinit, quin exiguum hoc ac leuidenſe, ſerena ac clementi ſis ſuſcepturus fronte. Non igitur praeſidenti motus audacia, quin potius humillima obligatione ductus, NOMEN TVVM PER-ILLVSTRE EXCELLENTISSIMVMque huic ſpecimini praefigo, idque ad ſummae virtutis ac eruditionis TVAE aram humillime depono. Nec credo quenquam fore, qui vitio id mihi vertat, ſi nunc quidem nihil magis dixero, quam vnicum hoc: Tot ac tanta Gratiae TVAE documenta Parenti meo, per tot annorum decurſum benigniſſime fuiſſe exhibita; Ea certe admodum ſufficientia arbitror, quae aeterno reuerentiae ac obſequii cultu, non dicam a nobis compenſentur, ſed ſubmiſſa ſaltem veneratione depraedicentur. Maius ſane auda-

ciae

ciae crimen forem subiturus, si in praesentia maxima ista beneficia, quae TV, DOMINE PER-ILLVSTRIS EXCELLENTISSIMEque in familiam nostram contulisti et adhuc benignissime confers, recensenda sumerem, ita enim illorum quantitas me obrueret, vt, vnde exordiendum esset, vbi finiendum, ipse propemodum nescirem. Qua de causa haec omnia silentio potius inuoluo, eaque deuotissima veneror mente; Id saltem humillime rogans, velis, DOMINE PER-ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIME, has ingenii mei primitias, quas TIBI iam supplex offero, in TVAM Tutelam ac Patrocinium suscipere, Gratia TVA et splendore iis lucem affundere, eademque Gratia, qua Parentem suscipis, meam quoque tenuitatem benignissime dignari. Seruet TE Deus, DOMINE

PER-

PER-ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIME, in seros vsque annos ab omni morborum ac fortunae aduersantis impetu sartum tectumque, quo sub regimine TVO floreat Patria dulcissima, fulgeat PER-ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIMA GENS BVNAVIORVM, Patrocinio TVO ac Clementia fruantur clientes! Ita precatur, ita vouet

PER-ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI NOMINIS TVI

cliens humillimus
IOANNES CHRISTIANVS Sommer.



Q. D. B. V.

CAP. I.

DE

LOCATIONE IVRISDICTIONIS IN GENERE.

§. I.



Sum Locationis Conductionis licet ad abuſum vsque, circa omnis paene generis res, in terris Germaniae vigere videamus, tamen vſus eius in locatione incertorum redituum eſt frequentiſſimus, quippe qui fraudibus adminiſtrantium maxime ſunt obnoxii, proinde longe vtilius videtur, iſtos ſub certis mercedibus locari, quam pro ſumtuoſis ſtipendiis aliorum adminiſtrationi concredere; Maior enim vtilitas expectanda, ſi quis curam rei ſibi concreditae, non *Vſus Locat. Conduct.*

vt alienae, sed quasi propriae suscipiat. SECKEND. *in Teutschen Fürsten-Staat P. 3. Cap. 2. §. 5. in notis.* AMELVNG *de Loc. Conduct. Rei Dominicae.* Est autem Locatio Conductio: Contractus consensu initus, de vsu rei vel personae opera, pro certa mercede concedenda. Diuiditur in Locationem rerum et operarum; Licet equidem hae duae locationis species iisdem fere nitantur regulis, tamen in effectu quodammodo differunt: Quod nempe Locatio rerum facilius transeat ad haeredes, quam operarum, et quod in Locatione operarum quandoque maior praestanda diligentia. *l. 13. §. 5. l. 25. §. 7. ff. de Locat.*

Eius Definitio.

§. II.

Quid locari pt.

Veniunt in hunc Contractum res omnes commerciis hominum non exemtae *l. 34. §. 1. ff. de Contrah. Emt.* siue sint corporales siue incorparales; Licet equidem hae solo cohaereant, modo ad vtilitatem personae simul sint concessae; siue sint Allodiales siue Feudales. Est enim feudum vsusfructus generatim accepti species *II. feud. 9. §. donare.* VVLTEI. *I. de Feud. C. 2. n. 9.* Nec transfertur Dominium per Locationem *l. 39. ff. de Locat.* Quin imo ad longum, locari feudum potest, tempus *II. feud. 9.* quia generaliter hic textus loquitur v. LVDWELL. *in Synopsi Iur. Feud. p. 306.* neque ad hoc ut Locatio rei feudalis valeat, aliud quid requiritur, quam vt non sit fraudulenta. v. ANTON. *Disp. Feud. 9. th. 3.* Et videntur contrariae opinioni accedentes, erroneo niti principio, ac si vtile Dominium hoc ipso transferatur; Id enim si fieret, vtique sine subinfeudatione eiusmodi locatio non procederet: Imo feudo ante finitum tempus locationis aperto, non tenebitur Dominus, locationis

nis contractum adimplere v. ANTON. *l. c.* Praeterea Obiectum Locationis constituunt res ad fiscum vel Rempubl. pertinentes, siue sint corporales, vt praedia Ciuilia et fiscalia, de quibus in *t. T. C. de Locat.* siue incorporales, cuiusmodi sunt omnes fisci reditus, vectigalia quoque variis de rebus soluenda. *L. 17. §. 1. ff. de V. S.*

§. III.

Seruitutes vero Reales nisi cum fundo cui cohaerent, locari non possunt; *L. 44. ff. de Locat.* Tum quia rebus inhaerent et per se non existunt, et nemo seruitutem Vrbani vel Rustici praedii acquirere potest, nisi qui habeat praedium, *§. 3. I. de Seru. Rust. et Vrban. praed.* Tum quia est de Substantia huius contractus, vt fiat ad tempus, quod harum seruitutum Naturae contrarium censent, per *l. 4. ff. de seruit.* Eandem quoque deprehendimus dispositionem in Iure Can. de Iure Patronatus, quod sine fundo cui cohaereat illud vendi non possit, ergo nec locari idque ex ratione a seruitutibus aliena, quod nempe Ius Patronatus sit spirituali annexum *Cap. 16. X. de Iure Patron.* STRYCK. *caut. Contr. Sect. 2. C. 9. §. 12.* ZIEGL. ad *Lancell. L. I. t. 28. §. 13.* *Quid locari non pt.*

§. IV.

Ex his paulo penitius consideratis, quilibet facile colligere poterit, Iurisdictionem hodiernam, prout in foris Germaniae hodie exercetur, obiectum esse Locat. Conduct. inuita natura Iurisdictionis Rom. Quo autem haec nostra assertio eo possit esse euidentior, non abs re fore credimus, si in naturam huius nostrae hodiernae Iurisdictionis accuratius inquiramus, eamque a falsis conceptibus liberare allaboremus. Est autem ho- *Recte tamen locatur Iurisd. hodierna* *Eaque definitur.*

dierna Iurisdictio in genere considerata: Potestas in omnibus causis Iudicialibus, tam Ciuilibus quam Criminalibus, cognoscendi, sententionandi, sententiasque exequendi, beneficio Principis regulariter concessa. Ad omnem Iurisdictionem haec tria iam recensita necessario desiderantur requisita, et vno alteroque ex his deficiente, semper defectu quodam laborabit Iurisdictio. Quemadmodum enim carnifex qui ius habet sententias capitales exequendi, non dici potest Magistratus, ita etiam iste qui habet ius cognoscendi tantum, non dici

Et diuiditur: potest habere Iurisdictionem. Summa Iurisdict. diuisio abit in Patrimonialem et Personalem, haec tanquam officium personae conceditur, et cum ea exspirat; Illa autem est ius exercendi Iurisdictionem in certo quodam districtu, a Principe in Proprietatem subordinate concessum, et est aut in Patrimonio Vniuersitatis aut in Patrimonio priuati. Nomine *patrimonialis* ista venit, quod in haeredes aut posteros transmittatur, et vti aliae res, in bonis esse, certoque pretio aestimari soleat: *daher werden die Gerichte bey Ritter-Gütern und Herrschafften um ein Gewisses angeschlagen*, vid. PAVRMEISTER *de Iurisdict. L. 2. c. 20.* MYLER. *de Princ. et Stat. Imp. c. 48. §. 15.* Diuiduntur istae duae species Summae in Ecclesiasticam et Secularem, haec ad causas et personas seculares spectat, illa autem Ecclesiastica nempe causas Ecclesiasticas et Clericos concernit, exerceturque apud nos per Consistoria, non tamen necessario, vti putat CARPZOV. *in Iurispr. Eccl. L. I. def. II.* Vnde et Dominos minus amplo territorio instructos, Consistoriales saepe causas Regimini suo vindicare nouimus; Licet in honorem ordinis

nis Ecclesiastici, vbi semel ista separatio fuerit admissa, eandem haud improbandam censeamus; Ecclesiastica differt a Seculari, non ratione concedentis, sed ratione obiecti. Diuiditur Secularis porro in Ciuilem et Criminalem.

§. V

Tot fere sunt modi Patrimonialem acquirendi Iurisdictionem, quot rerum vel iurium aliorum, MEV. P. IV. Dec. 292. fierique id solet, aut per Inuestituram, Land-R. L. 3. a. 52. aut per Praescriptionem, aut alio quocunque titulo. Non enim per Inuestituram tantum ista conceditur; inuenitur enim eadem in Allodiis Nobilium per totam fere Sueuiam, tractum Rhenanum, Franconiamque, teste GVNDLINGIO *ad Digesta p. 149.* Prout apparet ex sequenti concessione Banni a Ruperto Caesare, Conrado de Rosenberg, sine vlla mentione feudi, facta: *Haben In erleubet und gegunnet, erlauben und günnen In in crafft diß Brieffs und Rom. Künigl. mechte das Sie in irem Dorff zu Sweyen und in finem Begriffe Schulteissen und Scheffen, und nemlich ein Hals-Gericht, Stoke und Galgen daselbs Furbassermere ewiglich haben und auch mit demselben Gericht richten und gefaren söllen und mogen, als das in andern Gerichten daby Gewonheit ist etc.* vid. SCHILTER. *ad Ius Feud. Alem. C. 42. §. 29.* Licet equidem Imperator olim solus Iurisdict. Criminalem in feudum dare potuerit *LR. L. 3. a. 64.* tamen vi Superioritatis territorialis omnibus statibus Imperii et immediatis haec potestas hodie in suis territoriis iure competit, nisi exceptio specialis doceri queat. Si per Praescriptionem acquiratur Iurisdictio, non immemoriali opus est tempo- *Quomodo acquiratur Patrimonialis Iurisdict.*

re, ſed ſufficit tempus praeſcriptionis ordinarium in Germania praefixum, quia ea non eſt ſpecies reſeruatorum Principis. Concedimus equidem, ea quae iam diximus, Iure Romano non obtinuiſſe, an autem Iure Germanico hac in parte adhuc Romanorum tradita obtineant, illud merito negamus: Erat enim Iuriſdictio Romana nihil aliud, quam publica functio Perſonalis, vid. HVBER. *in Praelect. ad Tit. de Iuriſd.*; Minime vero in Patrimonio priuatorum, et proinde non poterat praeſcribi: Cum autem iure atque conſuetudine illa, maxima ex parte in foris Germaniae facta ſit Patrimonialis, vtique de iis quae diximus, non erit dubitandum; Eoque magis, cum ſententiam noſtram per *O. Crim. a. I.* ſequentibus in verbis confirmatam videamus: *Wo aber etliche von Adel ſolche Gerichte von alten Herkommen biß anhero eigener Perſohn beſeſſen, wollen wir, daß die ſelbige hinfürter auch ohne fernere Weigerung beſitzen, und ſolch Herkommen und Gebrauch in ihren Kräfften und Weſen bleiben ſollen.* Et impoſſibile foret, pleriſque Iuriſdictionem exercentibus, alium ſuae Iuriſdictionis edere titulum, quam Praeſcriptionis.

§. VI.

Tam Secularis quam Eccleſiaſtica poteſt eſſe Patrimonialis.

Non tantum autem Secularem, verum etiam Eccleſiaſticam in patrimonium dari a Principe poſſe Iuriſdictionem, facile apparet, ſiue originem eiuſdem, ſiue praeſentem illius inſpiciamus ſtatum. Non enim primis a Seruatore nato ſeculis forum habuerunt Epiſcopi aut ſpecialem Iuriſdictionem, ſed ipſi miſero adhuc Chriſtianorum ſtatu, arbitrorum modo, lites inter Chriſtianos obortas, amice componere conabantur; poſtea ſub

ſub Conſtantino M. criſtas erigentes ab Imperatoribus delegabantur ad audiendas quorundam cauſas, vnde Epiſcopalis audientia dicebatur, non tamen excluſa Imperatoris Iuriſdictione, vid. EVSEBIVS *in vita Conſtant. M. L. 4. C. 24.* Sub Iuſtiniano autem et Germ. Impp. haec Notio Epiſcoporum ſenſim in Iuriſdictionem imo Principalem dignitatem ac poteſtatem excreuit MYLER. *Archol. Princ. Imp. C. 12. 13. et ſeqq.* CONRING. *de Conſtit. Epiſc. Germ.* Sed imminuta haec facies Potentiae ſub pallio Sanctitatis ventilatae, per Pacificationem Religioſam *de an. 1555. et I. P. 10. a. 5. §. 30. et a. 8. §. 1.* dum ad territoriorum Dominos Iure Superioritatis ius Sacrorum rediit. Quo iure igitur Principes hodie Secularem priuatis in patrimonium dant Iuriſd., eodem quoque concedere poſſunt Eccleſiaſticam; Quod etiam aliqua ex parte iam factum eſſe, teſtantur, *die geiſtlichen Vnter-Gerichte*, quibuſdam locis conceſſa, conf. Excellentiſſimus DOHNDORF. *diſp. de iuriſd. Eccleſiaſt. Cap. 3. §. 11.* coram quibus cauſae Eccleſiaſticae parui momenti tractandae, quorum etiam mentionem facit SECKENDORFF. *in teutſchen Fürſten-Staat P. 2. C. 11. §. 3.* Cum autem haec ad ſingularia ſaltem priuilegia rariſſime concedi ſolita ſint referenda, merito hanc cum ſeculari non miſcemus.

§. VII.

Diſtinct. Secular. Iurisdict. in Altam et Baſſam.

Potius de diſtinctione Iuriſdictionis Secularis in Altam et Baſſam erimus ſolliciti, eoque magis, cum videamus, alium in vno eodemque loco habere in Patrimonio *die Ober-Gerichte*, alium autem *die Nieder oder Erb-Gerichte.* Illa appellatur Criminalis, haec Ciuilis;

lis; Quae ideo hoc insigniuntur nomine, quia ad Ciuilem, omnes causae Ciuiles et Pecuniariae, quae ex Causis Criminalibus non proueniunt, leuioraque delicta *Schläge*, *braun und blau*, *eine Deube die unter drey Schillingen*, id est *weniger denn 4. ggl.*, referuntur; Ad Criminalem autem potissimum ea spectant, *was an Haut und Haar gehet*, *oder Blutfliessende offene Wunden etc.* Vtriusque autem Speciei vlteriorem determinationem suppeditat Resol. Grau. de an. 1555. tit. *was zu Ober-Nieder-oder Erb-Gerichten gehörig.* Quia autem omnes casus non continentur in hac Constit., vti apparet ex eiusdem verbis: *Alle solche und dergleichen*, Iudicis est officii, vt ex Casibus verbotenus recensitis, ex identitate Criminis, ex personarum conditione, aliisque circumstantiis de similibus iudicet, cui normae loco inseruire poterit Responsum Scabin. Lips. quod deprehenditur in CARPZ. *Crim. quaest. 109.* Maxime autem in his determinandis cuiusque loci consuetudines sunt inspiciendae. SECKENDORFF *in Teutschen Fürsten-Staat P. 2. C. 9. §. 8.*

§. VIII.

Non praesumitur esse in Patrimonio Iurisd.

Licet equidem huius iam recensitae Iurisdictionis vna vel altera species in omnibus Ciuitatibus pagisque exerceatur, tamen in neutrius praesumuntur esse Patrimonio, nisi doceri possint tituli acquisitionis, quorum in §. 5. mentionem fecimus. Eoque magis haec praesumtio contra minores Ciuitates obtinebit, cum adeo videamus maioribus nullam olim competiisse Iurisdictionem. Notum enim est, multas Ciuitates, quae Ius Ciuitatis licet habuerint, tamen post multorum demum annorum interuallum Iurisdict. accepisse, vid. *von*

olim enim Ciuitates plurimae nullam habuere.

von Rohr Haußhaltungs-Recht L. 3. C. 8. §. 2. Et etiamnum hodie dari Ciuitates, quae nulla gaudeant Iurisdictione, vti patet ex CARPZ. *P. 3. Conſt. 3. Def. 21.* qui Senatui Wahrenbrucenſi neque ſuperiorem neque inferiorem competere Iuriſdict. refert. Quamobrem etiam teſtamentum coram eodem Senatu conditum, vt eius fide et autoritate conſeruaretur, inualidum declaratum eſt, teſte CARPZOV. *c. l.*; quam ob cauſam CARPZOVIVS exiſtimat, rariſſime magiſtratui in paruis oppidis Iurisdictionem competere. Praeterea WECKIVS in *Chron. Dreſd. Tit. 6. Part. 4.* de noſtra Saxonia notat, quod ante annum 1428. nemo Statuum Prouincialium Iuriſdictionem Superiorem Patrimonialem Iure exercuerit. *Idem Part. 2. Tit. 4. notat:* Quod Marchiones Miſniae Iuriſdict. in Vrbem Dreſdam ipſi adminiſtrandam curauerint. Quin imo ſi antiquiorum temporum monumenta inueſtigemus, deprehendemus, fuiſſe olim German. Imperatoribus ſolenne, vt perpetuos Iudices, a Senatu plane ſeparatos, ciuitatibus imponerent. Documento huic aſſertioni eſſe poteſt, celeberrima Norimbergenſium Vrbs, prout teſtatur ſequens conceſſio Iuriſdictionis a Ruperto Caeſare Ciui Norimbergenſi facta: *Wir Ruprecht etc. Bekennen etc. das wir von beſunder Gnaden und Rom. Kuniglicher mechte von bete wegen des Rates der Stadt zu Nurnberg unſer und des Richs lieben Getruwen den Panne uber das gerichte zu Nurnberg verlieben haben, und verliben in Krafft diß brieffs unſerm lieben getruwen Bertholden Pfintzing, Burgern zu Nurnberg. Mit Urkunden diſs briefs verſiegelt mit unſer kuniglichen Majeſtät Inſiegel. Geben zu Collen nach Criſts gepurt in den 1401. jare uf der*

idque probatur Exemplo Ciuit. Wahrenbrucenſ.

Teſtimonio Weckii

Vrbis Dreſdenſis

Norimbergenſis

Heil. dryer Kunige tage etc. vid. SCHILTER. *ad Ius Feud. Alemann. p. 263.* Perhibent etiam de Lipsia PEIFFER. *L. 2. §. 2. Rerum Lipsiens. p. 126.* et SCHNEIDER. *in Chron. Lips. L. 5. p. 225. seqq.*; Quod primi Lipsiens. Iudices seu Sculteti et Praetores, non modo perpetuam Iudicandi potestatem, sed et veluti fiduciariam ab Imperatoribus sibi ita datam possederint, vt ad stirpem quoque illorum virilem Iurisd. haereditariae exercitium descenderit, eaque deficiente ius caducum ad Principem demum redierit, qui deinde illud pro arbitrio alii, sub eadem ratione, tam gratis quam pro certa pecuniae summa, concessit. Exempla de hoc extant apud SCHNEIDER. *c. l.* Idque Lipsiae durauit ad annum vsque 1434. vbi Elector *Fridericus II* cognomine *Placidus* Iurisdictionem superiorem intra et extra vrbem, vsque ad Weichbildum siue fines Ciuitatis, Senatui et Ciuitati Lipsiensi pro tribus millibus aureorum Rhenensium sub pacto retrouenditionis vendidit; Quam demum Georgius Dux Saxon. anno 1506. denuo solutis tribus millibus aureorum Rhen. penitus in patrimonium eis dedit. SCHNEIDER. *c. l. p. 228* Nos iam non prolixiores erimus in recensendis exemplis; licet enim plura adhuc prostarent, plurima tamen incertitudine laborant. Ablegamus potius Lectorem Beneu. ad CONRINGII *Dissert. de Iudiciis Reip. Germ. §. 85.* vbi inquirit, quando et quomodo Iurisdictio translata sit ad Ciuitates et Nobilium praedia: vt et ad SECKENDORFF *in Teutschen Fürsten-Staat P. 2. C. 9. §. 3.* qui existimat, initium eiusmodi concessionum seculo demum XIII. factam esse.

Lipsiensis.

§. IX.

§. IX.

Nec id mirandum, si differentiam officii Magistratus Ciuitatis et Iurisdictionem habentis perlustremus. Incumbunt enim Magistratui Ciuitatis ea tantum, quae ad Politiam spectant, ac delictorum quae illam turbant cognitio, executio autem à Praefectis est peragenda, nisi per speciale Ius Magistratui concessa sit Iurisdictio. Habent equidem Magistratus Vrbani Iurisdictionis vmbram, non vero Iurisdict. ipsam. Possunt enim Decreta atque Statuta de rebus Ciuilibus *in Policey-Sachen* condere, administratores eligere, et annuas praestationes atque collectas exigere, habentque modicam coercitionem contra contumaces et negligentes, quae potissimum consistit in iure mulctandi ad certam vsque quantitatem, item arrestandi et incarcerandi, *Arrest und bürgerlicher Gehorsams-Zwang*, de quo iure mulctandi minus erit dubitandum, cum etiam Collegiis Opificum notio quaedam et coercitio concessa sit. v. CARPZ. *ad Proc. 2. 3. 88.* SCHILTER. *Exerc. ad ff. VI. §. 22.* Vlteriusque determinatur eorum officium in Weichbildo *art. 19. 42. et 43.* Quod maxime ex sequentibus verbis *art. 19.* latius apparet: *Ein Burgermeister hat die Gewalt, dass er richten mag über allerhand falsche Maass und unrechte Waage, und unrechte Scheffel, und über allerhand falschen Speise-Kauff, und über die Becker, die klein Brod verkauffen, oder die Fleischer, die ungebs Fleisch, und über Vorkäuffer, oder Marck-Hoecken, dass sie rechten Kauff geben, und misthut ihn einer wider ihr Gesetz, der vvettet darumb Haut und Haar, oder eine Windische Marck (das sind 30. Schillinge) solches damit zu loesen. Ihr Gesetze ist, vvenn*

Differentia Magistratus Ciuitatis et Iurisdict. habentis.

 man

man einen Schaub auf dem Marckt steckt, so sollen die Marckt-Hoecken nichts mehr kauffen, dass sie fürbass verkauffen wollen etc. Quae vltra ista ascendunt, istis erunt vindicanda, qui Iurisdictionem in tali loco exercent.

§. X.

Multo minus in Pagis Castrisque illa praesumitur.

Ea quae iam de Ciuitatibus in medium protulimus, etiam ad Castra pagosque applicanda esse, certissimum est, cum nec essentiae fundi aut Iurisdict. repugnet, vt alius fundum, alius Iurisdictionem in illo habeat; Praestat enim fundus suas vtilitates etiam sine Iurisdictione. Nec existimet quispiam, ideo praesumtionem quandam Iurisdictionis pro illis militare, quod antiqui Germani potestate Dominica in seruos suos fuerint vsi, extincta enim conditione seruili subditorum, extincta etiam censetur eorum obligatio, qua Dominis suis obstricti erant. Praeterea etiam aliud est Iurisdictionem exercere, aliud disciplinam domesticam. Et proinde in multis adhuc deprehendes fundis pagisque, alium esse *der Gerichts-Herr* alium esse *der Lehn-oder Erbzinss-Herr*, atque ad constituendam hypothecam in immobilibus subditorum vtriusque consensum requiri, quam distinctionem etiam obseruat *O.P.S.R.Tit.46.§.Würde.* Quomodo autem et quo titulo Iurisdictio ad plerosque peruenerit fundos, de omnibus non constat; De Bauaria distincte occasionem refert ADLZREITER *P. I. L.25. §. 26.* Quod scil. seculo demum XIV. instante bello Vngarico Dux Otto pro pecunia conficienda Iurisdictionem Nobilibus et Ciuitatibus concesserit, non quidem omnem, sed ad ius, aes multalitium in suum conuertendi vsum; quod etiam probat SECKENDORFF *im Teutschen Fürsten-Staat.*

P. 2.

P. 2. *Cap.* 9. *ad* §. 3., qui exiſtimat, anno 1311. idem obtigiſſe.

§. XI.

Ceſſabit autem haec contra Ciuitates pagosque iam allegata praeſumtio, ſi ſpeciali lege aut conſuetudine Iurisdictio illis propria facta; Prout conſtat de Ciuitatibus Ducatus Wurteobergici, quippe quae ex ſpeciali Principis ſui conceſſione Iurisdictionem poſſident et exercent, *per Statut. Ducal. Würtenberg. P.I. fol.* 49. MYLER ab EHRENBACH *de Princip. et Stat. Imperii pag.* 446. Vt et de Ducatu Mecklenburg. et Pommer. de quibus MEVIVS *P.*2. *Dec.*314. teſtatur, Iurisdict. cum iſtis fundis coniunctam eſſe, quos Princeps in feudum dat. *Quando haec Praeſumtio ceſſat.*

§. XII.

Cum igitur certe ſimus perſuaſi, nos finem iſtum attigiſſe, quem nobis ſupra in §. 4. proponebamus, non dubitamus, ex iam dictis ſatis pateſcere, vtramque Iuriſdictionis Speciem, tam Patrimonialem quam Perſonalem, vendi, pignori dari, Locarique poſſe. *Recte igitur tam Perſonalis quam Patrimon. Iurisdictio locatur.* Nec deſtituimur exemplis, quibus probemus, Iuriſdictionem quondam locatam fuiſſe, et adhuc hodie referri inter res locari ſolitas. Conuertemus nos tantum Dreſdam, duce WECKIO in *Chronico Dreſd. P. I. Tit.* 4. *et* MVLLERO *in Annalibus pag.* 13. 23. 49. vbi deprehendemus, Senatui iſtius Ciuitatis olim neque inferiorem neque Superiorem competiiſſe Iuriſdictionem, ſed inferiorem demum an. 1425. illi a Friderico Marchione Thuringiae et Miſniae, filio Balthaſaris Landgrafii Thuringici, ad tempus locatam eſſe, vti ex ipſis verbis Contractus a WECKIO c. l. adductis colligi poteſt. *probatur exemplo Ciuit. Dreſdenſis.*

 Cuius

Cuius Iurisdict. termini ab Electore Friderico II. et fratre eius Wilhelmo Duce Saxoniae 1444. postmodum sunt extensi. Tandem autem ab Ernesto et Alberto Electore Ducibusque Saxoniae, Superior et Inferior Iurisdictio: *um sonderlicher Bequehmlichkeit willen etc. die Gerichte über Hals und Hand, Oberst und Niederst in Stadt und Vorstädten etc. etc.* vti sonant verba, an. 1484. titulo Locationis huic Senatui concessa. Vnitis postea duabus Ciuitatibus, Dresda nempe Noua et Vetere, Elector Mauritius Senatui tam Superiorem quam Inferiorem Iurisdict. permisit, et quidem priorem iterum locato, in vtramque Ciuitatem pagosque circumiacentes, concessa simul potestate Weichbildum erigendi; Quae tandem potestas, a Ioh. Georgio II. Elect. Sax., huic Senatui titulo oneroso in patrimonium tradita est.

Helmstad. Idem testatur Kressius de Helmstadio suo in *Notis ad art.* 2. *§. 15. O. Crim.* quod Criminalem Iurisd. haec Ciuitas locationis iure exerceat. Aliud quoque Exemplum adducit STRYCK. in *V. M. Lib. 19. §. 54.* de Senatu Vr-

Vrbis C. bis C., qui Iurisdict. Superiorem et Inferiorem pro annuo Canone 50. Ioachimicorum et Canone haereditario *dem Erbstands Geld* 500. Ioachim. concessam habet. Vidimus iam exempla Iurisdict. Personalis a Principe locationis titulo concessae; Videbimus etiam, an Patrimonialis ab iis, qui eam in suo habent Patrimonio, locari possit? De quo minime erit dubitandum, si modo considerauerimus, eam esse patrimonialem, ac eodem modo, quo alia priuatorum iura in commercium venire, praescribi, vendi, oppignorari, aliisque modis transferri; Quidni etiam locari? BEYER. in *Delin. Iur. Germ. Cap. 4. L. 1. §. 12.*; Hancque locationem procedere

dere non tantum cum fundo, cui illa cohaereat, sed etiam sine eo. Quae omnia vel exinde apparent, quod isti, qui Iurisdictionem in patrimonio habent, eam non ipsi administrent, vti olim factum, vid. BEYER. *c. l.* §. *16.* quod et de iure fieri debuit *O. Crim. a. 1.* Sed plurimos eiusdem actus per actuarios expedire teneri, qui plerumque simul sunt officiales seu *Gerichts-Verwalter*, conf. BARTHII *dissert. de Iurisd. quam Personae Illustres et Nobiles per officiales exercent.* Praeterea *per Dec. El. 73.* Dominis Iurisdictionis permissum, exercitium Iurisdict. penitus in alium transferre.

§. XIIII.

Qui possit conducere Iurisdictionem.

Potest quidem Iurisdictio in Patrimonio personarum alias inhabilium, literarum et doctrinae Iuris expertum, foeminarum, infantum et similium esse BEYER. *c. l.* §. *12.* non vero ab iis administrari, sed illo casu ab officiali *von einem Gerichts-Halter* est expedienda *O. P. S. R. Tit. 2.* §. *1.* Quamuis alias haec potestas Domino Iurisdict., si iuris sit gnarus: *Wenn er im übrigen denen Rechten gemäss verfähret*, vti loquitur *Dec. El. 39.* quoad plurimos actus Voluntariae Iurisdict. fuerit concessa. Quicunque vero non potest esse officialis, ille nec conductorem Iurisdict. agere potest. Quidam enim illorum prohibentur, quidam impediuntur officialis munere fungi; Ad hos referendi sunt ii, qui non gaudent requisitis ad officialem necessariis, quae praescribuntur cit. *O. P. R.* §. *1. et 3.* Prohibentur vero officialis munere fungi, Praefecti eorumque actuarii per *Mandat. Regium de die 10. Ian. 1696. dass die Beamte keine Gerichts-Bestallung etc.* Cuius dispositionis ratio ex huius mandati apparet lectione; Prohibentur porro ad offi-

ficialis munus admitti, qui extra territorium noſtrum habitant per *Mandat. Reg. de die 7. Sept. an. 1722. daſs keine Perſohnen die in fremden* Territoriis *wohnen, zu Gerichts-Haltern und* Actuarien *anzunehmen.* Quamobrem eiuſmodi perſonae ſemper vt illegitimi a Conductione Iuriſdictionis in Saxonia noſtra Electorali repellendi. Omnia autem iam dicta intelligenda de iſtis Conductoribus, qui ipſi exercitium Iuriſdict. locatae ſuſcipere volunt, non autem de aliis, quippe qui legitimos conſtituere tenentur officiales.

§. XIV.

Locatoris perſonam repraeſentare pt. iam Princeps

Ex his iam dictis apparet: non tantum Principem, ſed etiam priuatum locare poſſe Iuriſdictionem. Poſteaquam vero iſtae Ciuitates, quae olim Iuriſdictionem Locationis titulo exercuerunt, maxima ex parte iure patrimoniali illam hodie poſſident, penes Praefectos ſolos, plerumque a Principe conductae manſiſſe videtur exercitium, quibus hodie a Principibus adminiſtratio Iuſtitiae et Oeconomiae, in certo quodam diſtrictu, qui Praefectura nominatur, ſaepius locationis titulo conceditur. Inſtitui autem ſolet haec Praefecturae locatio, praeuia notificatione publica, quam demum in termino licitationi praefixo, licitatio ſequitur, et plus penſionis nomine licitanti, optimamque cautionem offerenti, Praefectura ad certum annorum numerum conceditur. Quibus vero ſub conditionibus haec conceſſio fuerit facta, ex literis ſuper hac re confectis *aus denen Amtmanns-Beſtallungen* colligendum. Praeter requiſita autem Praefectorum externa iam recenſita, etiam interna probe ſunt exploranda; Quae autem talia ſint ex *Reſo-*

lut.

lut. Grauam. de an. 1661. Tit. von Iustitien-*Sachen:* §. *40.* et *ex O. P. S. R. Tit. 2.* §. *2.* apparet.

§. XV.

Locatio Iurisdictionis a priuato facta, aut cum fundo cui cohaeret, aut fine eo fieri folet, vid. STRYCK. *V. M. L. 19. Tit. 2.* §. *67.* recipit enim diuisionem a fundo, vid. HVBER. *in Praelect. ad Tit. de Iurisdict.* Locato autem fundo in genere, non etiam locata censetur Iurisdictio, vid. STRYCK. in *Cautel. Contract. sect. 2. c. 9.* §. *11.* STRVV. *Synt. Iur. Feud. c. 6. aph. 18. n. 4.* dissentiente licet CARPZOV. *L. 5. Resp. 15.* qui tamen sibi ipsi contrariatur in *disp. Feud. c. 4.* §. *24.* Et applicanda hic regula: Quicquid non expressum, non praesumitur concessum. Neque hic admittenda argumentatio a Iure Patronatus ad Iurisdictionem. Concedimus enim, ex Dispositione Iuris Canonici, fundo locato etiam Ius Patronatus tacite concessum censendum, *Cap. VII. X. de iure Patron.* ratio enim Iuris Canonici, cuius ductu illud ita sancitum, et quae *Cap. XVI. X. eod. tit.* deprehenditur, maxime a Iurisdictione differt, cum nulla spiritualis coniunctio pro ea militet. Semper igitur Iurisdictio expresse locanda, cum ne vendito quidem fundo, simul vendita censeatur Iurisdictio; Conceditur enim eadem praecipue in fauorem et Vtilitatem Dominorum fundi, et per accidens huic tantum cohaeret, estque praedium aeque a Iurisdictione distinctum,, ac ipsa Iurisdictio a iuribus territorialibus, et infrequens non est, vt in Prouincia aliqua vnus habeat possessionem ac Vsumfructum loci, alius *die Lands-Fürstl. Obrigkeit*, tertius *die Landes Hoheit*, quartus *die Wild-Bahn*, quintus *die Fürstl. Obrigkeit*, sextus *die hohe Fraiss und*

Quam Priuatus,

Locato autem fundo in genere non locata censetur Iurisdictio.

Cent, feptimus *die Vogtey und Erb-Gerichte*. CASP. LEOPOLD. *de concurrente Iurifd.* Sed alia hic nobis fe offert quaeftio: an nimirum: Iurifdictione in genere locata, omnes ejufdem locatae cenfeantur fpecies? Quam vtique affirmandam ducimus, ne confufiones Iurifdictionis exinde oriantur, fi Locator, qui Conductori ius fuum conceffit, cum eo illud exercere vellet, ac imputet fibi locator, quod legem contractui non dixerit apertiorem *l. 39. ff. de Pactis.* Praeterea etiam femper vtilius meliusque, fi Ciuilis et Criminalis coniuncta fit Iurisdictio. In quantum autem Conductor Locatori, et Locator Conductori obligatus fit, fequentia docebunt.

Locata Iurisd. omnes fpecies eius locatae cenfentur.

CAP. II.

DE IVRE LOCATORIS.

§. I.

POftquam igitur in praecedenti Capite fatis fuperque demonftrauimus, tam Perfonalem quam Patrimonialem Iurisdictionem, verum Locationis Conductionis obiectum conftituere, paucis adhuc inquiremus, in quantum Locatori Conductor, et Conductori Locator fit obligatus, et quantum Iuris vtrique contrahentium eiusmodi inito perfectoque contractu acquiratur; Iura Locatoris praefens fiftet caput, conductoris autem Iura ex fequenti apparebunt Capite. Quemadmodum autem iam in praecedenti capite diftinximus inter Iurisdictionem Patrimonialem et Perfonalem, et monftrauimus hanc fpeciem tantum a Principe locari: ita etiam ante omnia videbimus, quo iure Princeps contra eius-

Si Princeps eft Locator vtitur iure Fifci contra Conduct.

eiusmodi Conductorem vti possit? Vbi praecipue obseruanda veniunt iura fisci, quibus Conductor se subiicere tenetur, et ipsum Principem habere iudicem, eosue quibus Princeps hoc commisit *t. t. C. vbi causae fisc.* Qui autem hodie tales sint, ostendit SECKENDORFF *in Teutschen Fürsten-Staat P. 3. Cap. 4.* coram quibus Princeps non solum conductorem conuenit, sed etiam a Conductore est conueniendus. Quamuis fateamur, plurima iura Fisci, quae iure Romano obtinuere, parum vtilitatis hodie habere, cum Principes de sufficienti cautione prospicere sibi soleant, maxime quoad ius Tacitae Hypothecae in bonis Conductoris lubricum saepius et incertum, eoque magis in Saxon. Electorali, vbi per emendatam Processus Ordinationem sublato hoc in genere, etiam respectu Conductoris id sublatum censendum. Reliqua autem Priuilegia, quibus Princeps contra Conductorem vti possit, sollicite congessit AMELVNG *de Locat. Cond. Rei Dominicae Cap. V.* Inter quae tamen illud non referendum, quod in *l. 11. §. f. ff. de Public. et vect.* continetur, vbi eiusmodi conductores finito Conductionis tempore, si ex priori conductione locupletiores existant, nihilominus compelli possunt, eam denuo prioribus pensionibus suscipere, si non existat alius, qui sub eadem pensione eandem subeat, cum videamus illud in *l. 3. §. 6. de iure Fisci* expressis verbis prudentissime sublatum, ne scilicet hoc ipso alii deterreantur, ad eiusmodi contractum subeundum.

§. II.

His missis inspiciemus potius iura communia Locatoris Iurisdictionis, siue ille sit Princeps, siue priuatus. Vbi ex natura Locat. Conduct. obseruandum, *Iurisdictio nomine Locatoris est administranda.*

dum, penes eum locatam manere Iurisdictionem, eumque eius retinere proprietatem, et conductorem non ſuo, ſed Locatoris nomine illam adminiſtrare teneri; Non enim data eſt Conductori Iurisdictio, ſed ſaltem vſus eiusdem ei conceſſus. Latius id docet *Cap. 3. §. 4.*

§. III.

Exigere poteſt mercedem a Conductore.

Quemadmodum autem hic vſus non gratis conceditur, ſed pro certa mercedis praeſtatione: ita ius habet illam a Conductore exigendi, et quidem ſi in ſingulos annos ſit definita, circa finem ſingulorum annorum id fieri poteſt. *a. l. 29. ff. de V. O.* BERGERI *Oeconom. Iuris L. 3. Tit. 5. §. 24.* videtur enim haec contrahentis Locatoris fuiſſe voluntas, vt loco fructuum Iurisdictionis, quos per ſingulos annos ex re ſua percipiendos habet, mercedem accipiat. Quodſi autem à contrahentibus nulli certi praefixi ſint termini, in quibus merces ſolui debeat, Locator non prius, quam finito Locationis tempore mercedem exigere poterit BERGER *c. l.* niſi per conſuetudinem regionis aliud ſit introductum *l. 34. ff. de R. I.* Non ſolum autem Conductorem obligatum habet ad ſoluendam mercedem totius temporis, ſi per totum praefixum tempus locata vſus fuerit Iurisdictione: ſed etiam ſi negligentem ſe exhibuerit in illius adminiſtratione, quin imo eam penitus ſine iuſta cauſa intermiſerit. *l. 55. §. f. ff. de Loc. Cond.*

§. IV.

Priuari poteſt Conductor Exercitio Iurisdict. ſi officio ſuo non ſatisfaciat.

Omnia autem reliqua Conductor ſecundum legem Contractus inter ſe et Locatorem initi obſeruare tenetur *l. 25. §. 2. ff. Loc. Cond.* et ſi id non fecerit, ad officium ſuum a Locatore adigi poterit, quin imo exercitio Iurisdict. penitus, ante tempus in contractu praefinitum, priuari *l. 3. C. Loc. Cond.* hoc enim fine inita cenſetur Locatio, vt Iurisdictio

ctio maneat inuiolata, et iustitia obseruetur, eoque magis, cum non Locatoris tantum sed etiam Subditorum vtilitas in eo versetur. Coeterum in hac conductoris erga Locatorem obligatione determinanda, ad scripturam, quam super hoc negotio conscripsere, est recurrendum, aut ex Pacti Contractui adiectis controuersia definienda; Quae autem talia sint, a prudentia Locatoris dependet, qui optime fecerit, si vmbram quandam potestatis sibi adhuc reseruet, ne penitus priorem, quam in subditos habebat, abdicasse videatur Iurisdictionem. Exemplum talium reseruationum exhibet *Ill. von* ROHR *in Haußhaltungs - Rechte L. 1. C. 4. §. 6.*

§. V.

His igitur ita constitutis Conductor, qui emolumenta locatae percipit Iurisdictionis, etiam onera eiusdem, si aliud pacto non determinatum, suscipere tenetur. Quamobrem obligatus est 1) ad impensas Inquisitionum necessarias suis sumtibus praestandas *Ord. Prou. Sax. de anno 1555. Tit. von Vnkosten der peinlichen Rechtfertigungen*, 2) ad eos, qui iura pauperum impetrarunt, subleuandos. 3) Ad Patibulum aliaque Signa Iurisdict. erigenda, 4) ad praestandas impensas in Executiones delinquentium, vulgo *das Hencker - Geld*, nisi aliud consuetudine introductum, vt nempe subditi aut in totum, aut ex parte illas ferant, per *Cit. Ord. Sax.* 5) ad praestanda alimenta liberis Expositis *denen Findel - Kindern*, quia id ex causa Criminali oritur, et per *cit. Ord. Proc.* custodia furiosorum ad Superiorem Iurisdict. refertur, infantes autem, qui fari nondum possunt, furiosis in genere aequiparantur, *l. 1. ff. de act. et oblig.* vid. CARPZOV. *P. 4. C. 4. Def. 10.* *Conductor onera Iurisdict. ferre tenetur.*

CAP. III.

DE IVRE CONDVCTORIS.

§. I.

In Exercitio Iurisdict. non est turbandus,

QVia finis conductae Iurisdictionis maxime iste est, vt Conductor vsum eiusdem, siue emolumenta percipiat, idem a Locatore in exercitio eius non est turbandus, siue Locator sit Princeps, siue priuatus. Licet enim Principes Legibus sint soluti, tamen eo ipso, dum contrahunt, legibus publicis, et normae Contractus, quem incunt, se adstringunt, et proinde actionibus ex contractu ortis non tam tenentur, quatenus ciuiles leges id disponunt, sed quatenus fidem suam dederunt. De priuato multo minus erit dubitandum, cum ex natura locationis, et lege *15. ff. Loc. Cond.* ad id obligetur. Non tantum autem ipse locator in id allaborare debet, ne per se in exercitio Iurisdictionis locatae conductori interuertatur commodum, sed etiam ne per alios id fiat; Vtrumque autem si intermiserit, conductori ad interesse est obligatus *cit. l. 15. et 33. ff. Loc. Cond.* Quamobrem Locator ius exercendi Iurisdictionem intra tempus Locationis vendens, non liberatur hoc ipso ab obligatione, qua Conductori est obstrictus; Habet etenim Conductor emtorem non obligatum ad implendum contractum Locationis cum priori Domino initum *l. 9. C. Locat.*, sed compellere potest Locatorem ad praestandum id quod interest, non factam fuisse hanc interruptionem, vid. MEV. *P. I. Dec. 54.* Quoties enim stat per alium, quem Locator prohibere potuit, quo minus Conductor emolumentis Iurisdictionis frui possit, ille ad id quod interest conductori tenetur. *l. 24. §. 4. l. 33. ff. de Loc. Cond.*

siue Locator sit Princeps,

siue Priuatus,

§. II.

§. II.

In quo autem emolumenta Iurisdictionis potissimum consistant, paucis determinare allaborabimus vt appareat, quantum iuris sibi Conductor circa eiusmodi Conductionem vindicare possit: Vbi inprimis videbimus, quid ad Iurisdictionem Personalem locatam referendum? In genere hic dicendum: Si vtraque Iurisdictionis species tam Superior quam inferior locata sit sine vlla reseruatione, eiusmodi conductorem ea capere emolumenta, quae ante locationem a Praefecto in rationes sunt redacta; Proinde talis Conductor merito etiam percipit *die* Commission-*und Geleits-Strafen*, et licet Princeps sibi in Locationis Contractu reseruauerit ius aggratiandi et poenam corporalem in mulctam conuertendi, Conductor tamen eam mulctam recte sibi asserit: Pari iure ad conductorem quoque pertinent: *Die Hülffs-und Abzugs-Gelder*; *Gerade und Heer-Geräthe, so dem Amte heimgefallen*, tanquam bona vacantia, ad onera Iurisdictionis ferenda, vid. HORNII *Consult. Respons.* et *Sentent. pag. 721.* et BERGER. *in Oecon. Iuris pag. 683.* Quodsi vero sola inferior locata sit Iurisdictio, ad eiusdem emolumenta determinanda in subsidium adhibendae erunt *Resolut. Grau. de an. 1555. et 1543. Tit. Was zu Ober-Nieder oder Erb-Gerichten gehörig.* Sed prudentius aget, vtiliusque eiusmodi conductor sibi prospiciet, si omnia speciatim exprimenda a Locatore in contractu sibi curet.

Quae sint emolumenta Iurisdict.

Personalis.

§. III.

Quae emolumenta Conductor Patrimonialis Iurisdict. sibi asserere possit, hac includuntur regula: Quicquid vtilitatem praestat Domino Iurisdictionis in exercitio eiusdem, illud cedit conductori, nisi aliter sit conuentum.

Patrimonialis, et quae ad Conduct. spectant.

Illa

Illa vero, missis nunciis, quae in citata Resolutione iam expressa deprehenduntur, maxime sunt sequentia: 1) Habet ius Personas iudiciales constituendi, 2) Ius poenas mitigandi et corporales in pecuniarias mutandi, eoque magis, si nulla poena determinata adest; Et quanquam super hoc puncto inter CARPZOVIVM, STRVVIVM et ZIEGLERVM agitata sit controuersia, tamen illa per *Resolut. Grav. de an. 1661. §. 59. Tit. von Iustitien-Sachen* decisa est, et iurisdictionem Patrimonialem habentibus permissum, fustigationem et relegationem perpetuam in poenam pecuniariam praeuio Collegii Iuridici iudicio transmutandi. Etiam speciali *Rescripto de die 28. Sept. an. 1715.* Inferiorem Iurisdict. habentibus concessum, carcerem in mulctam commutandi. Quae tamen potestas tantum in Sax. Elect. non vi Iurisdictionis, sed vi Priuilegii magistratibus asseritur, et tantum intelligenda de surrogatione mulctae in locum poenae lege determinatae; Nec in ipsa Sax. Elect. dispositio citati *§. 59. Resolut. Grau.* vltra casus ibidem expressos erit extendenda. Quamobrem poena, quae in delinquentes contra Edictum Regium Duella cohibens, constituta est, ab eo, qui superiorem habet Iurisdictionem, in pecuniariam minime mutari potest, prout in hanc sententiam respondit *Facultas Iuridica Witteb. an. 1710. M. Dec.* teste *Ill.* GRIBNERO *in Dissertat. de his, quae vulgo, sed perperam ad Iurisdict. referuntur.* Quod etiam de Delictis carnis asserendum, idque eo certius, cum in Edictis Regis nostri Potentissimi de an. 1700. M. Oct. et 1709. M. Sept. expresse ita sit sancitum. Probe tamen notandum priuilegium istud iam recensitum, tantum Patrimonialem Iurisdict. habentibus competere, minimeque ad eos spectare, quibus Administratoria est concessa,

cessa, per verba *d. §. 59. Resolut. Grau. So mit Ober-Gerichten belieben.* 3) Habet ius exercendi speciem iuris Fisci in Sax.-Elect., vi cuius Iurisdictionem superiorem habenti, deferuntur bona Caduca, Gerada, nec non omnes res Expeditoriae deficientibus legitimis successoribus, *Part. 3. Const. El. 38. §. fin.* CARPZ. *in Pract. Crim. P. 3. quaest. 109. n. 70.* SECKENDORFF *in Teutschen Fürsten-Staat P. 3. C. 3. S. 9. §. 2.* 4) Ius Detractus de Subditi defuncti bonis extraneo relictis, ab eoque exportandis; Quod etiam exercetur, si subditi sub alterius Domini Iurisdictionem se conferant, licet non ex territorio eiusdem Principis emigrent, vid. SECKENDORFF *in Teutschen Fürsten-Staat P. 3. Cap. 2. ad §. 13.* Quodsi plures sint in vno loco, qui Iurisdictionem habent, ille hoc ius exercet, qui Superiorem habet. Quin imo licet alicubi ius detractus non vigeat, subditi vero defuncti haeres ex eo loco sit, vbi id obtinet, ius Retorsitionis exerceri potest, *P. 3. Const. El. 38.* SECKEND. *c. l. §. 13.* 5) Ius Sportulas iudiciales et mulctas exigendi, hac tamen cum distinctione, vt ex causis Criminalibus prouenientes iurisdictionem superiorem habenti addicantur per *Ordin. Ernesti et Alberti &c. Tit. Was zu Ober- Nieder- oder Erb-Gericht gehörig*, et per *Mandatum speciale de an. 1624. d. 29. Iunii.* 6) Ius Pignorandi *P. 2. Const. El. 8.* CARPZ. *P. 2. C. 27. def. 3.* 7) Dimidiam partem poenarum, ab iis praestitarum, qui furtum ligni commisere per *Mand. Ioh. Georgii I. de die 1. Martii 1619.* quae dispositio a Potentissimo nostro AVGVSTO peculiari Mandato *de die 11. et 12. April. 1709.* repetita. 8) Tertiam partem poenarum, qua isti afficiuntur, qui cereuisiam tributis subtrahere fuerunt annisi vid. *Erklærung des de dato den 15. April. anno 1702. ergangenen Interims-Ausschrei-*

ſchreibens der auf einen neuen Fuſs, nach denen Faſsen gerichteten Tranck-Steuer de die 20. Ian. 1703. Cap. 21. 9) Tertiam partem poenarum *von unterſchlagenen Impoſten*, cum iure in eiusmodi delinquentes inquirendi, vid. *Ausſchreiben de die 17. Iun. 1700. die Abſtattung derer von gewiſſen Stücken bewilligten Abgaben betreffend. Cap. 11.* 10) Partem quartam eiusdem poenae, qua iſti mulctantur, qui Corniculo Poſtarum ſine auctoritate publica vtuntur: vid. *Poſt-Ordnung de die 27. Iulii 1713.* Quae poſteriores duae ſpecies iuriſdictionem Inferiorem habentibus competunt. 11) Tertiam partem iſtius poenae, qua ille afficitur, qui Exceptionem non adimpleti Contractus friuole et ad Litis protelationem oppoſuit, v. *Anhang O. P. S. R.* §. 4. conf. *Excell.* D. KVNHOLD in *Diſſertat. de Vſu Except. non adimpleti Contractus hodierno.* 12) Eandem poenae partem Conductor percipit, ſi haeres ex debito defuncti executiue conuentus, negauerit ſe eſſe haeredem *ib.* §. 7. 13) Idem quoque obtinet, ſi debitor executiue conuentus in reconuentione Exceptionem non numeratae pecuniae probauerit, *ibidem* §. 8. Omnia haec emolumenta in hoc §. recenſita, Conductori cedunt, et Locator illa priuatiue dediſſe intelligitur, ita vt penes eum nihil maneat, niſi quod reperiatur reſeruatum vel exceptum, MEV. *Part. 4. Dec. 246.*

§. IV.

Quae ad Conductorem non ſpectant.

Et haec iam recenſita Iurisdict. emolumenta illis praecipue annumerantur, quibus Conductor Iuriſdictionis per tempus Locationis frui poteſt. Reliqua autem, quae huc praeter iſta referuntur, cum perſonam Domini Iuriſdictionis tantum concernant, Conductori Iuriſdict. non ſunt vindicanda, quo referendum. 1) Ius Precum Eccleſiaſticarum, quibus Dominus Iuriſdictionis a Subditis

ditis

ditis est includendus per Rescript. Christ. II. *Daß die Obrigkeit und* Collat. *ins Kirchen-Gebet eingeschlossen werden sollen* de die 22. Oct. 1630. 2) Porro huc etiam spectat potestas Dominis Iurisdictionis concessa, immobilia coram suo iudicio oppignorandi *Dec. El. 38.* Contrahendi, subditos suos in suo iudicio in realibus et personalibus feudalibusque Causis conueniendi *O. P. S. R. Tit. 2. §. 3. Verzicht leisten*, Testamenta condendi. 3) Statuta promulgandi *Ord. Polit. de an. 1661. Tit. 22. §. 2. 3. 5.* 4) Homagium exigendi a subditis, 5) Ius subditos recipiendi; In genere, vt plura paucis complectamur, hic discernenda sunt, quae Locatori Iurisdict. competunt *als Gerichts-Herrn*, ab iis quae ei debentur *als Lehn oder Erb-Zinß Herrn.* Quamobrem 6) Conductor neque Census, neque Canones, neque Pensiones, nec Decimas a Censitis, Emphyteutis, Villicis, Churmedis, Lassis, praestandas sibi vindicare potest, nisi speciatim ipsi sint attributa, vid. LVDWIG. *Tract. de Churmeda* etc. Nec 7) Operae rusticae Conductori Iurisdictionis cedunt, cum illarum origo et fundamentum non in Iurisdictione proprie sit quaerendum, sed in expressa vel tacita conuentione inter Dominum et Seruum, circa manumissionem olim inita, dum his, sub lege operarum aut pensionum Domino praestandarum, libertas et praedia fuerint concessa; Vnde non abs re testimonia et compensationes manumissionis censentur; Quamuis non nihil consuetudini et legi circa eas sit tribuendum, vti obseruat Dn. KEMMERICH in *Accession. ad Instit. §. 10. pag. 710.* Nec 8) Laudemium. Nec 9) Ius Mortuarium, quod Domino ex bonis defuncti Rustici, aut hominis proprii in nonnullis locis debetur. conf. HARPPRECHT. in *dissert. de Mortuario, vom Haupt-*

Fall, Cl. LVNIG. in *German. sacr. diplom. P.3. pag. 12.* BRVSCH. *de monast. Germ. p. 314.* MEINDERS *de Iurisdict. colonaria p. 123.* Nec 10) Immobilia subditorum solo Consensu Conductoris vendi possunt, sed adhibito consensu Domini *des Lehn oder Erb - Zinss - Herrn O. P. Sax. Tit. 46.* 11) Si pignorans sit subditus Domini Iurisdictionis, et pignora eidem subducendo, animo transferendi Iurisdictionem in alterius iudicium deferat, illi per *Part. 2. Const. 8.* liberum est, talem subditum perfidum ad immobilia sua vendenda adactum, ex terris Iurisdictionis suae expellere. Cum autem praeiudicium maximum in eo versetur, merito soli Dispositioni Domini Iurisdictionis seu Locatoris id reseruamus. Vlteriorem determinationem eorum quae hactenus discernere alloborauimus, exhibet Sententia ICt. Altorfensium super hac quaestione lata, quam expressis verbis adducit AMELVNG in *tractatu de Locat. Conduct. Rei Dominicae pag. 315.*

§. V.

Prorogatio Iurisdict. subditis non concedenda.

Omnia igitur emolumenta Iurisdictionis, quae Conductori debentur, ei illibata et integra sunt concedenda conseruandaque, quem in finem etiam Conductor ius habet, subditos Iurisdictionem prorogare volentes eo adigendi, vt coram se lites suas dirimendas curent; Cum enim Locatori hoc ius competat, etiam Conductor illud exercere poterit. Nec quisquam dubitauerit, Dominum Iurisdictionis Patrimonialis, de Domino enim Iurisdictionis Personalis hoc certissimum est, subditos suos ad id compellere posse: Idque facile euinci poterit, si modo principia Iuris Ciuilis hac in parte reliquentes consideremus, Dominum Iurisdictionalem, suam in subditos Iurisdictionem non iure magistratus, sed iure Dominii habere, SCHIL-
TER

TER. *Ex. ad ff. VI. §. 23.* Quemadmodum enim de Iure Canonico certum eſt, Iuriſdictionem Clericalem prorogari non poſſe, ob hanc potiſſimum rationem, ne tendat in praeiudicium Ordinis Clericalis, *C. ſi diligenti 12. C. ſignificaſti, 18. X. de Foro Compet.* ita etiam haec ratio ad Patrimonialem Iuriſdict. quadrabit, ſi illi adhuc addiderimus hanc, ne ſcilicet Prorogatio tendat contra beneficium et priuilegium Ordini Clericali per conceſſionem huius Iuriſdict. datum; Et proinde ſubditis pari modo non eſt conceſſum, Iuriſdictionem iſtam cui ſubſunt, expreſſe prorogandi: Reſpicit enim eiuſmodi forum conceſſum, tam fauorem Domini Iuriſdictionis quam Subditorum, cui Subditus ſolus renunciare non poteſt, niſi conſentiente Domino Iuriſdictionis, alieno enim facto alterius ius non mutatur *l. 27. ff. de Procurat.* nec alteri per alterum iniqua poteſt inferri conditio *l. 74. ff. de Reg. Iur.* Id quod etiam apud Gallos fieri non poteſt, ex ea ratione, quia ibi omnis Iurisdictio eſt Patrimonialis, PETR. COSTAL. *L. I. de iudiciis.* Merito igitur eiuſmodi prorogantes poenis afficiuntur, v. SECKEND. *teutſcher Fürſten-Staat. P. 2. C. 9. §. 2.*

§. VI.

Obligatus equidem eſt Conductor ad ſoluendam mercedem pro iure omnia haec percipiendi emolumenta; His autem ceſſantibus, etiam haec eius ceſſat obligatio ad mercedem ſoluendam, nam deficiente cauſa finali, propter quam Contractus initus, ipſe definit Contractus *l. 6. C. de Pactis inter Emt. et Vendit.* Quodſi omnia ceſſent, licentia erit Conductori a Contractu recedendi *l. 13. §. 7. l. 27. §. 1 ff. Locat. Cond.* Si autem per quoddam Conductionis tempus Conductor percipere non potuerit emolumenta Iuriſdictionis, pro hoc temporis ſpatio remiſſio ei a Locatore facienda, veluti ob cauſam Belli, *l. 33. ff. Loc. Cond.* quin imo ſi ruina eiuſdem ſubditi adeo ſunt pauperes redditi, vt eorum lites quieſcere hoc ipſo teneantur, plane liberabitur Conductor ab obligationis *Quando merces remittenda.*

ſuae nexu, omnis enim Conuentio tacitam hanc in ſe habet Conditionem: Rebus in eodem ſtatu manentibus *l. 38 ff. de Solut.* et in eum caſum haec obligatio deuenit, a quo incipere non poteſt, quamobrem eadem vtique extinguitur *l. 98. ff. de Verb. oblig.*; eſt enim ſtatus et Conditio Iuriſdictionis Cauſa, ob quam Conductor ad contrahendum perſuadetur. In genere hic dicendum: Quoties Iuſtitium tempore Conductionis exiſtit, toties Conductori a Locatore remiſſio facienda. Omnia autem haec ceſſant, ſi conductor in ſe receperit, ſe nihilominus mercedem ſoluturum: nec quidquam huc faciet, quod pro laboribus fruſtra adhibitis, pro nullo commodo mercedem ſoluere teneatur; cum verba pacti expreſſa conductori obſint. Porro haec ceſſant, ſi tempore calamitatis publicae conductor hunc inierit contractum, nam ſic videtur hoc periculum in ſe ſuſcepiſſe, et obligatus manet ad adimplendum Contractum. Proinde difficilior hoc caſu eſt remiſſio mercedis, difficillima autem reſolutio obligationis, qua locatori eſt obſtrictus.

§. VII.

Quando ius Locatoris et Conductoris exſpirat.

Finito tempore a contrahentibus praefinito, vtriuſque exſpirat ius. Et quamuis locatio vltra nouem annos fuerit inita, tamen non ideo ius aliquod in Re ſibi acquirit Conductor, ſed finito tempore vtique ius ſuum exſpirat, nec aſyli loco hoc caſu vti poterit *l. 1. §. 3. ff. de Superficiebus*, cum non ſolum inſpecta ratione huius legis, verum etiam collata *l. 39. ff. de Loc. Cond. et l. 2. C. de Praeſcript. 30. et 40. ann.* ab hoc repellatur.

Non morte.

Non autem morte vtriuſque contrahentis extinguitur ius, ſed tranſit ad haeredes Locatoris et Conductoris, idque iure Ciuili et Saxon. *§. f. I. Loc. Cond. l. 10. C. eod. P. 2. Conſt. El. 37.* Quo tamen in caſu haeredes Conductoris tenebuntur, ad legitimum officialem *einen Gerichts-Vervvalter* conſtituendum, ſine hoc enim ius defuncti proſequi non poterunt.

§. VIII.

Concluſio.

Sed hic ſubſiſto; Licet praeuideam multa adhuc dicenda reſtare, quae dignitas huius materiae exigat. Deo interim Ter Optimo Maximo pro conceſſa gratia omnibuſque per totum vitae tempus in me collatis beneficiis gratias perſoluo immortales, eiuſque diuinae clementiae me meaque ſtudia in futurum etiam commendo. Beneuolus autem Lector veniam mihi dabit, ſi quae minus apte aut pro dignitate huius materiae dicta deprehendet. Patriae et Patronis exhibendum erat aliquod induſtriae meae et temporis in hac Academia locati ſpecimen, quibus ſi vel ex aliqua parte ſatisfeciſſe videbor, merito mihi gratulor, meliora cum Deo promittens.

VIRO
PRAENOBILISSIMO, CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

DOMINO CHRISTIANO SOMMERO

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET SAXONIAE ELECTORIS SECRETARIO REGIMINIS AC CIVITATIS DRESDENSIS SENATORI

FAVTORI SVO COLENDO

S. P. D.

PRAESES.

FOrtes creari fortibus ac bonis, nec imbellem feroces progenerare aquilas columbam, verissime canit Vates. Intuenti mihi Filii tui merita, conspicio simulacrum Paternarum Virtutum, quas in Te mirantur omnes, VIR AMPLISSIME, quibus amicitia TVA propius frui contigit. Si pietatem haud fucatam, si iudicii acumen, si labores indefessos, si denique morum elegantiam in Filio Politissi-

litissimo depraedico, Paterna vestigia presso pede sequentem merito collaudandum profiteri cogor. Posteaquam enim Filius TVVS interesse coeperat Lectionibus meis, Tantum in arduis diiudicandis ardorem, Tantam ingenii felicitatem, improbo labore omnia vincentem in Eo perspexi, vt hortari ad honores palmae per se currentem supernacaneum existimarem. Insignem hoc animo TVO excitabit laetitiae sensum, quum votis, quae pro Filii salute nuncupare Pietas TE iussit laudatissima, felicissimus nunc respondeat euentus, ex quo fructus Paternarum sollicitudinum vberrimos sperare queas. Emolumentum Patriae, praesidium Familiae inclutae certissimum spondent progressus studiorum Filii TVI, qui omnem vitae suae rationem ita composuit, vt ad summam laudem iure suo adspirare possit. Luculentissimum praebet testimonium praesens specimen proprio marte ab eo conscriptum, ex quo nihil mihi vindico, ne plagii vitium incurrisse videar; sed cui debentur, Filii TVI solertiae cuncta tribuo. Gauisus sum in sinu, dum breui tempore alterum fidei meae creditum praeter spem atque opinionem publico Eruditorum Certamini sisto, cui aliena opera abuti opus haud fuerat. Hinc gratulor TIBI, PARENS FELICISSIME, ex animo egregios hosce Filii TVI conatus, et vt ex Ipsius incrementis Tua quotidie augeatur laetitia, tota mente voveo. TE vero seruet Summus Omnium Moderator et Arbiter cum incluta gente TVA ad longaeuos annos sospitem incolumem, omnique ex parte beatum, quo ex felicitate Filii TVI fortunatissimum TE Parentem factum quam diutissime sentias. TVO interea Fauori me commendatum habeas, precor. Vale.

) o (

